

**1981-03-16 – SS Ioannes Palus II – Littera ‘Pluribus Iam’**

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

***PLURIBUS IAM***

**COPIARUM NAVALIUM VENETIOLAE NATIONIS  
CONSTITUITUR CAELESTIS PATRONA IPSA BEATISSIMA VIRGO MARIA  
SUB TITULO «DOMINAE NOSTRAE DE VALLE» HONORATA**

Ad perpetuam rei memoriam. – Pluribus iam aide ab annis compertum omnibus est Venetiolanos nautas singulari quidem pietate prosequi cultuque Sanctissimam Virginem Mariam quam non sine causa «Dominam Nostram de Valle» nuncupent quippe cuius prodigiosa ab illis excolatur imago in templo paroeciali a Sancto Spiritu in Insula Margaritae dioecesis ipsius Margaritensis. Merito igitur factum est ut Venerabilis Frater Martialis Ramirez Ponce, Episcopus titulo Carianensis necnon Auxiliaris Caracensis et moderator officii supremi Cappellaniae copiarum omnium in Venetiola, vota communia amplexus atque Coetum ibi Episcoporum rite percontatus approbaret electionem Beatae Mariae Virginis sub memorato titulo vulgari «Nuestra Señora del Valle» in Patronam apud Deum copiarum navaliurn sive classicorum militum in Venetiola eandemque electionem iam factam peteret hac ab Apostolica Sede ut ipsa vicissim sanciret. Nos autem plurimum sane tribuentes efficacitati eius modi patronatus caelestis pro singulis qui eo adficiuntur et praevidentes iam salutare fructus illius liturgicae dignitatis praesertim inter nauticos ipsos milites perlibenter confirmamus id omne quod flagitanti iam illi Episcopo Cappellaniae moderatori officii concessit Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino atque certa scientia et matura deliberatione Nostra de Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi ac perpetuum in modum Beatissimam Virginem Mariam – sub appellatione Dominae Nostrae de Valle praecipuam apud Deum Patronam universorum militum copiarumque classicorum in Venetiola confirmamus seu iterum constituimus ac renuntiamus cunctis additis simul honoribus et privilegiis quae praecipuis humus generis Patronis iure congruunt. Contrariis quibuslibet neuti quam obstantibus.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XVI mensis Martii anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.*

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*